

Tu verus mundi lucifer,  
Non is qui (a) parvi sideris,  
Venturae lucis nuntius,  
Angusto fulget lumine :  
Sed toto sole clarior,  
Lux ipse totus et dies,  
Interna nostri pectoris  
Illuminans praecordia.

Adesto rerum conditor,  
Paternae lu is gloria,  
Cujus (b) admota gratia,  
Nostra patescunt corpora ;  
Tuoque plena spiritu ,  
Secum Deum (supple, sunt) gestantia :  
(c) Ne rapientis perfidi  
Diris pateant fraudibus :

A

Ut inter actus saeculi,  
Vitae quos usus exigit,  
Omni carentes crimine,  
Tuis (d) vivamus legibus.  
Probrosas mentis castitas  
Carnis vincat libidines,  
Sanctumque puri corporis  
Delubrum servet Spiritus.  
Haec spes precantis animae,  
Haec sunt votiva munera,  
Ut matutina nobis sit  
Lux in noctis custodiam.  
Gloria tibi Domine,  
Gloria Unigenito,  
Cum Spiritu paraclito,  
Nunc et per omne saeculum. Amen.

B

## CENSURA ALTERIUS HYMNI HILARIO PERPERAM TRIBUTI.

In ms. alias Cardin. Sirletii, tum Altemperensis bibliothecae, nunc Cardinalis Ottoboni, hunc hymnum sequitur alter proluxior, qui serotinus existimari possit in superiore ad Abram epistola memoratus. Certe in serotinum tempus apprimè convenit. Ab astris enim exordium ducit, estque generalis quaedam confessio animi, qui lasciviae, superbiae, invidiae, discordiae, inanis gloriae, gulae ac gestientis laetitiae vitium se impetum ingemiscens, una Dei misericordia Christianae meritis fretus veniam precatur. Praeterea Arianæ haeresis tempora in hoc sa-

pit, quod fidelem animum professus, Arium ac Sabellium nominatim detestatur, nec ullum his addit hereticum, nisi, forte ad complendos versus, Simonem magnum. Tamen dictio non videtur Hilario digna. Ubique versus mensura syllabarum potius quam pedum numero terminatur. Et cum sermo deberet esse feminini generis, si a filia cavendus esset hic hymnus, ubique est masculini. Ex initio et sine judicet lector, quid de hymno reliquo sentiendum sit.

## INITIUM.

Ad caeli clara non sum dignus sidera  
Levare meos infelices oculos  
Gravi depressos peccatorum pondere :  
(e) Parce redemptis.  
Bonum neglexi facere quod debui,  
Probrosa gessi sine fine crimina,  
Scelus patravi nullo clausum termino :  
Subveni, Christe.

C

## FINIS.

Hymnum fideli modulando gutture,  
Arium sperno, latrantem Sabellium :  
Assensi numquam grunnienti Simoni  
Aure susurra.  
Zeloque Christi sum zelatus nomine :  
Sancta nam mater lacte me catholico  
Tempus per omne Ecclesia nutritiv  
Ubere sacro.

(a) Editi, parvus oritur.

(b) Ita ms. Germ. ubi Ottob., duo Collb. et alius sancti Petri de Cultura, amota gratia nostra pavescunt corpora : male in Vulgatis autem, ad nutum gratiae nostra patescunt corpora. Tum in alio ms. German. subjicitur :

Tuaque sancta dextera,  
Tuere nos per saecula.  
Post hujus vitae terminum,  
Vitam perennem tribue,

ac deinde subsequitur : Tuoque plena spiritu, pro quibus in vulgatis : Tu quoque pleno spiritu.

(c) Germanensis codex, nihil adrepentis perfidi occultis pateat fraudibus.

(d) Excusi, nitamur legibus : renitentibus mss.

(e) Melius hic conveniret Subveni, Christe ; et post, Parce redemptis.

D

531-532

## IN SEQUEMTEM LIBRUM ADMONITIO.

## NONNULLA DE LIBRIS ALIIS AD CONSTANTIUM PRAELIBANTUR.

I. *Librorum ad Constantium ordo.* — Tres libros subsequentes, quo eos ad manum habere quisque valeat, ab invicem non separamus : quamvis ordo temporum postularet, ut eorum primus libro de Synodis praeponebatur. In illis tamen inter se ordinandis habita est temporum ratio, quae prius neglecta fuerat.

II. *An aliqui libri ad Constantium exciderint.* — Am-

bigi possit, an plures, quam qui nunc exstant, sub iisdem titulis ab Hilario scripti sint. Namque post Sulpicium Severum Fortunatus testatur, ipsum, dum Constantinopoli opperiretur regis voluntatem, tribus libellis regis audientiam poposcisse : nec jam nobis superest nisi unicus Constantinopoli editus, quo audientia postuletur. Deinde in nullo librorum sequentium reperire est fragmentum, quod Hilarii nomine ut

scribentis ad Constantium imperatorem in concilio laudavit Cœlestinus papa I, et Arnobius lib. II de conflictu cum Serapione inseruit. Postremo Hieronymus librum Hilarii in Constantium jam vita functum memorat : cum vivo Constantio tres istos scriptos fuisse constantissimum sit.

III. Quæ licet ita sint, alios tamen ab his minime desiderandos arbitramur : et Fortunatum quidem a Sulpicio deceptum esse ; hunc vero nimio brevitatis studio tres libros, quos habemus, sub titulo eorum uni dumtaxat convenienter comprehendisse, aut potius, sicut et multa alia, confudisse. Neque ullum fere dubium est, quin Hieronymus librum, qui tertio loco exhibetur, contra Constantium vita functum dixerit. Fragmentum autem a Cœlestino et Arnobio memoratum cum ultro recipiamus, ut Hilarii calamo et ingenio prorsus consentaneum, neque falso inscriptum putemus ; facile tamen opinamur, illud ad eam primi libelli partem pertinere, quæ manifesto mutila atque truncata est.

IV. *In primo libro aliquid deest. An aliquid habeatur aliunde adsutum.* — Nonnulla enim in hoc primo libro deesse jam adverterunt eruditi, et perspicuum est vel ex his num. 7 : *Moveret enim absolutionem ejus*, etc., quæ cum ad Athanasium referri necesse sit, in animum inducunt sermonem de sancto illo viro antea habitum desiderari. Rursum num. 8, Nicænae fidei mentio jam facta memoratur ; quamvis nullum in superioribus de ipsa verbum occurrat. Aliqui etiam dubitarunt, an non huic libello aliunde adsuta sint, quæ a num. 4 supersunt. Nam neque cum superioribus, neque inter se satis cohærere videntur : nusquam ab hinc ad imperatorem convertitur oratio : tractandi autem ratio magnam affinitatem habet cum iis quæ in Fragmentis historici Ariminensis concilii disseruntur. Quocirca non satis certam putant Baronii opinionem, hunc librum anno 355 scriptum non aliunde probantis, quam quod Hilarius num. 8, de Eusebii Vercellensis exsilio locuturus, rem recens gestam aggredi se prædicet. Sed et ei opponunt Fragmenti I, num. 6, verba, ubi Synodi Arelatensis acta sex septemve post annis narraturus, ea tamen dicat proxime gesta.

V. *Quando scriptus sit.* — Recens non est libelli hujus plaga, quam neque ex codice S. Petri de Urbe sæculo quinto ineunte exarato resarcire licuit. At cum in vetusto illo exemplari non solum in fronte exstet : *Incipit ejusdem ad Constantium* ; sed et ad calcem ad scribatur : *Explicit liber I S. Hilarii ad Constantium. Incipit I. II ejusdem ad eundem, quem et Constantino-poli ipse tradidit* : non videtur facile dandum, aliunde quidquam adsutum esse. Certe 533-534 utraque pars easdem deflet calamitates, eadem ratione perstringit Arianorum violentiam. Et neutram quidem ante annum 355 scriptam esse liquet : non postremam, qua

non modo Paulinus ex Arelatensi synodo an. 354, sed et ex Mediolanensi an. 355, Eusebius ac Dionysius in exsilium ejecti narrantur, neque etiam primam, qua egregiorum sacerdotum ab exsilio reditus suppliciter postulatur. Non enim ante prædictas synodos sacerdotum suorum exsilia novit Occidens ; cujus præsertim malis Hilarium hic commoveri quis non assentiatur ? Neque minus constat, hunc libellum ab eo ante exsilium ipsius scriptum esse. Nam præterquam quod in iis, quos exsul scripsit, tacere non solet exsilium, certe non satis idoneus esset exsul, qui aliorum ab exsilio reditum deprecaretur. Cum autem sub anni 356 initium relegatus sit : ad Baronii sententiam redeundum.

VI. *Qua occasione.* — Porro libelli hujus scribendi ex Constantii litteris nata videtur occasio. Cum enim an. 355, teste Ammiano lib. XVI, frequentes essent in Gallias barbarorum incursus, propter quos reprimendos Julianus eodem anno exenute Cæsar creatus est ; verisimile est, Constantium Gallorum dissidia et seditiones veritum ad eosdem seripsisse, quo eos in officio contineret. Imo commotæ seditionis suspicionem jam sibi ab improbis susurronibus injectam eum Gallis significasse innuunt hæc num. 2 : *Non quisquam perversus aut intidus maligna loquatur : nulla quidem suspicio est, non modo seditionis, sed nec asperæ abmurmurationis. Quieta sunt omnia et verecunda.* Hanc igitur opportunitatem tactus Hilarius, plus ab Arianis tinendum rescribit, a quibus perturbantur omnia : et ab iis illata Ecclesiis mala enixe deprecatur.

VII. *Cur primus dicatur. Hilarii de fidei libertate sententia.* — Hieronymus libelli hujus non meminit : qui primus inscribitur, non quod cum secundo connexus, sed quod prior editus. Illum epistolæ nomine libenter donarem, si cum auctoritate liceret. Quod autem in eo edisserit sapientissimus Præsul ad libertatem fidei commendandam, non ita intelligendum est, ut hæreticos ad profitendam fidem veram cogere nunquam licere existimaret. Nam lib. de Synodis Orientales laudat, quibus suffecti, post blasphemiam voluntatem, coactæ saltem fidei subscriptio : quæ licet in multis suspecta ipsi merito videatur, gratulandum tamen putat, saltem aliquem ex his suscipi penitentem. Sed dissuadet licentiam, qua hæretici Catholicos cogunt, ut avita et apostolica fide deserta, commenta nuper inventa amplectantur. *Cogunt nempe*, inquit num. 6, *non ut Christiani omnes sint, sed ut Ariani.* Quamquam episcopalem considerans animam, quem ad clementiam semper pronum esse, ac veram et non fictam populorum fidem quærere deceat ; ipsi convenientissimum esse prædicat, ut ne ad veram quidem fidem, vim eam, quam Ariani per varia tormenta catholicis inferebant, adhiberi patiatur.